

Comment. In Daniele

- seruit, spiritus imperat. Sunt igitur viri iusti ex Deo spiritualiter nati, & filij. Quod si filij, vt verbis vtar apostoli ad Galatas
- Gala. 4.** quarto, & hæredes: Heredes Dei, vt ipse ait capite octauo Epistolæ ad Romanos, cohæredes autem Christi. Iudæi autem filij Iuda & Iacob filij sunt alieni, iuxta id quod de illis ait Deus Psal. 17. Filij alieni mentii sunt mihi, filij alieni inueterati sunt. Quod de illis intelligitur, qui obstinati permanent in perfidia sua, non de illis, qui est natione sunt Iudæi, professione tamen sunt veri Christiani.
- ¶ *Venit Nabuchodonosor.* Hic Nabuchodonosor fuit huius nominis primus, qui habuit filium eodem nomine appellatum, de quo meminit Berofus libro tertio historiarum Chaldearum, quem vocat Nabuchodonosorem nomine à patre accepto. Huius secundi Nabuchodonosoris meminit Megasthenes Græcus libro historiarum Indicarum quarto, Philostratus in annalibus, Diocles libro coloniarum. Horum duorum patris & filij eodem nomine appellatorum mentionem facit Metasthenes Persa libro de iudicio temporum, Plinius Iosephus libro Iudæicarum antiquitatum decimo, Raphael Volaterranus vndecimo geographæ. Est etiam obseruandum, neutrum ex his duobus eum fuisse, de quo loquitur diuina scriptura in libro Iudith. Ille enim Nabuchodonosor qui misit Holofernem ad terram deuastandam, fuit post reditum Israelitarum à Babylonica seruitute, quando accidit historia Iudith, vt ex eius libro capite quinto constare videtur. Ille quoque Nabuchodonosor, qui Tyrum euertit eo tempore, quo Hierosolyma fuit per Hebræos à Chaldaa in Iudæam reuersos inaurata, de quo meminit Ezechiel capite 26. non fuit hic, qui Hierosolymam obsedit, de quo loquitur hoc loco Daniel, nec filius eius, in quo tuit Cyrus, qui Iudæos restituit, & ad pristinam dignitatem reuocauit. Aut, vt alijs placet, Alexander Magnus. Vnde obseruabis, omnes Babyloniæ reges solitos fuisse Nabuchodonosores nomine à primo deducto appellari. Eodem modo Latinorum reges Syliij à Syluio Aenææ filio cognominabantur, vt ait libro de Ciuitate Dei. 18. diuus Augustinus: sicut postea Romanorum Imperatores Cæsares à Iulio Cæsare appellati fuere: Manethon in additio- ne ad Berofum Romanos Imperatores ait vocatos etiam fuisse Augustos ab Augusto Octauiano: sicut Aegyptiorum reges Pharaones à primo Pharaone. Id quod aperte asserit Eusebius in monumentis animalium, quæ chronica temporum verbis vltioribus nominantur. Ita reges Palæstinæ vocabantur quondam Abimelech, vt ex libro Genesis depromit Lippomanus vicefimum primum eius caput explanans. Quod etiam obseruauit Mathæus Aurogallus in libro de Hebræis locorum nominibus. Eodem modo reges Persarum Arsacidae, & Atheniensium Cecropidae olim cognominabantur. Erat igitur Nabuchodonosor non personæ nomen, primum semper excipio, sed regis dignitatis nomenclatio.
- ¶ *Rex Babylonis.* Post vniuersam eluisionem terrarum, vt in libro Genesis scriptum legimus, cõdiderunt nonnulli in terra Senaar, quæ est in Chaldaea, ciuitatem & turrim: in quadam edificatione Deus eorum linguas confudit. Quam ob causam vocata est ciuitas illa Babel, hoc est confusio, & postea Babylon & Babylonia. Ciuitas proprie dicitur Babylon, & regio Babylonia: quamuis hæc nomina aliquando confundantur. Huius ciuitatis regnum occupauit Nemrod, aut vt alij nominant, Nemrodus: quo ita ait diuina scriptura: Ipse cepit potens esse in terra: & erat robustus venator coram domino. Fuit autem principium regni eius Babylon. Hæc ibi. Per venatorem intelligunt inter pretes tyrannum, de venatione hominum quos in stat venatoris opprimebat, hunc locum explanantes, quod Caietanus obseruauit. Huius est aduertendum fuisse principium regni eius Babyloniæ, quia caput primi regni fuit confusio, nam regnandi appetitio omnia confudit. Diuus Hieronymus in libro questionum Hebraicarum in Genesis hunc locum explanans: Nemrod, inquit, arripuit in suam primus in populo tyrannidem. Hic fuit post diluuium pri-

August.

Manet.

Euseb.

Gene. 31
Lippo.

Aurog.

Genea.

Gene. 10.

Caieta.

Hieron.

mus